



TAZON

CVM
VIR

PRAENOBILISSIMVS, AMPLISSIMVS,
ET DOCTISSIMVS,

M. IOANNES *S*riedlieb
STVBELIVS

ILLVSTRIS, QVOD PORTAE FLOR ET,
GYMNASII HVCVSQVE COLLEGA III.
LONGE MERITISSIMVS,
CON-RECTORIS

munus,

Prid. Non. Febr. A. MDCCXXXVII

in eodem Lyceo,

solemni inauguratione, fusciperet;

Suam obseruantiam, pro eo, ac decet,

PRAECEPTORI SVO

testari voluerunt,

GOTTOFREDVS CAROLVS AVGVSTVS
PITTERLINVS,

Dreid.

CAROLVS HENRICVS JANVS,

Mariaemont. Misn.

JOHANNES CHRISTIANVS TYPKIVS,

Freib. Misn.

Gottlob SIGMUNDVS SCHMIDIUS,

Walden. Misn.

NVMBV RGI,

Typis BALTHASAR. BOSSOEGELII, princ. Typogr.



HORAT.

-- Quondam cithara tacentem
 Sufcitat Musam, neque semper arcum
 Tendit Apollo.




Vper Porta parens beatiorem
 Ipsam se extulerat, suosque natos.
 Illos tradiderat bonis Magistris,
 Qui septem numero, scientiisque

Informent iuvenes, eisque veram
 Instillent sapientiam. Columnas
 Sustentare vides domum: bonique
 Sustentant pariter scholam Magistri.
 Fortunata fuit sub his, suisque
 Cum natis, Genitrix. Amaeniores
 Sed vix propulerat dies, inertem
 Indicens hiemem, redintegratus
 Auctumnus; columen ruit, Magistrum
 Nam mors egregium rapit virumque.
 Hinc afflicta Parens dolore magno,
 Cum natis vacuas replet querelis
 Auras, saepe suum bonum repositens
 Doctorem. Lacrymas Parentis almae,
 Et quas congeminat graues querelas
 Moestorum iuvenum caterva, sanctum
 Audit concilium Patrum, quod omnem
 Hanc nostram patriam salubriori
 Prudens consilio regit: scholamque
 Musarum propriam venustularum
 Sedem, praesidio suo tuetur.

Audit, sollicitae doletque Matris
Hunc casum, nec eam iuuare differt.
Conscriptique Patres virum requirunt,
Vita conspicuum scientiisque:
Vt, quem Porta diu venusta fleuit
Doctorem, excipiat novus, gemendus
Et casus miserae scholae leuetur.
Patres, quos patriae Pater benignus,
Vt secum patriae suae salutem
Quaerant, constituit, sciunt, quibusque
Tu quantisque, pie colende nobis
STVBELI, meritis scholam bearis.
Sed longum nimium foret referre,
Alta iamque manent reposta mente
Sancto Concilio: bonaeque firmam
Hinc TE sufficiunt scholae columnam.
Et, dum Porta Parens, ut optat, in Te,
STVBELI venerande, adempta quondam
Restaurata sibi videt: dolori
Ponit nunc obices, statim cohortem
Moestorum iuuenum monens: relegent.
Secum tristitiam, suaeque signa
Prodant laetitiae. Piamquae Matrem
Sic laeti iuuenes sequuntur omnes.
Desuetas citharas suas resumunt,
Quas, quum summus eos dolor teneret;
Affixas paries habebat: at nunc
Faustum quisque lyra canit reductum
Tempus. Pars iuuenum Tuis, colende

STVBELI, meritis vacat canendis,
Queis nostram cumulas scholam. Celebrant
Virtutes alii, quibus Magistrum,
Quem mors eripuit, refers, eumque
In Te restituis scholae. Suamque
Testantur reliqui, prout fidelis
Impellit pietas eos amorque,
Summam laetitiam Tibi; sed illi
Tandem conueniunt in hoc, vt omnes
Conceptis precibus Deum fatigent,
Qui Te prosperitate sempiterna
Fortunare velit: bonumque tempus,
Florentemque statum scholae reductum
Nostrae, propitius Deus perennet.
Et, ne deficiat peculiare
Signum, quo pietas amorque constet,
Queis Te prosequimur per omne tempus:
En! hic discipuli Tui fideles,
Quos iunxit quatuor decens eorum
Erga Te studium, sui que clarum
Ponunt hic monumentum amoris, atque
Nunc pro continua Tua salute,
Queis posfunt, precibus Deum verentur.



78 M 496

ULB Halle 3
001 618 148



TA-506

K018

017





TARON

CVM
VIR

PRAENOBILISSIMVS, AMPLISSIMVS,
ET DOCTISSIMVS,

M. IOANNES Sriedlieb STVBELIVS

ILLVSTRIS, QVOD PORTAE FLORET,
GYMNASII PRAECEPTOR ET LEGA III.

LON
CO

Prid. No

solemn
Suam o

PRAE

GOTTOFR
P

CAROLVS

JOHANNI

Gottlob SIG

Typis BALTI

B.I.G.



Farbkarte #13

Black
S,
KXVII
VO
GVSTVS
S,
TYPKIVS,
DIVS,

Typogr.

